



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DE EL PETÉN*** ADMINISTRATIO
APOSTOLICA «EL PETÉN»

AD GRADUM VICARIATUS APOSTOLICI PROVEHITUR

Cum Administratio Apostolica « El Petén » in Republica Guatimalensi quaedam iam susceperit incrementa atque in condicionibus versetur quo stabilius constituatur, duximus diutius differendam non esse eiusdem Administrationis elevationem ad gradum Vicariatus Apostolici, iisdem servatis finibus eodemque servato nomine. Quam ob rem, audita sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Congregationis pro Gentium Evangelizatione praepositorum, acceptoque quorum interest favorabili voto, Nos, Apostolica Nostra usu potestate, Administrationem Apostolicam « El Petén » ad gradum Vicariatus Apostolici provehimus eodem nomine appellandi. Volumus autem ut Apostolicae hae Litterae Nostrae firmae sint et efficaces nunc et in posterum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI	AGNELLO Card. ROSSI
<i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	<i>S. Congr. pro Gentium Evang. Praefectus</i>

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 4 p. 436

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana